



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1415. usque ad annum 1431

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118294**

§. 49. Locus pro conclavi selectus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66272](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66272)

Sæcul. XV. nium, totamque ferme Normanniam, ex-  
A. C. 1417 cepto Chereburgo, quod tribus omnino  
mensibus hostium impetus elusit.

## §. XLIX.

*Locus pro conclavi selectus.*

*Vander  
Hardt to. 4.  
p. 1394.*

Cum omnia studia ad novi Pontificis electionem intenta essent, præprimis de loco ad proximum conclave opportuno Patres deliberabant, tandemque publicam Mercatorum domum (\*) alias *Bursam* dictam designabant, nec dissentiente Imperatore; fors enim sibi persuasum habebat, providam hanc Patrum dispositionem haud obfuturam, quominus reformationis negotium ceteris præferretur. Ast non eadem erat Cardinalium sententia; hi enim, ut votis eorum intentus colluderet successus, nullum non movebant lapidem. Quinimo libellum quemdam sat contumeliosum divulgare ausi sunt, in quo Germanos velut Hussitarum fautores traducere non dubitarunt, eoquod Pontificis electioni obluctarentur, docerentque, quod Sede Apostolica certo vacante, Canones Papam eligi prohiberent, atque Ecclesia sine dispendio Acephala permanere valeret, donec reformatio

(\*) Legitur in actis Concilii: major domus Communitatis.

formatio Papæ, Cardinalium, ac Roma-  
næ curiæ executioni data esset. Sæcul. XV.  
A. C. 1417.

## §. L.

*Libellus de necessitate eligendi Pon-  
tificem.*

**A**ddidit citatus libellus, schismaticos, at-  
que Synodi perturbatores esse illos  
omnes, qui sub quocunque prætextu abs-  
que speciali Concilii mandato Impera-  
tori quamdam jurisdictionem in Clericos  
attribuerent. Postea protulit argumen-  
ta, quæ promptam summi Pontificis ele-  
ctionem evincant, nempe diuturnitatem  
Concilii, impendentis pestilentiae metum,  
Cæsaris ac nonnullarum Nationum con-  
tentiones, ac denique bella in quibusdam  
regnis, absentibus eorum Principibus ex-  
orta. Nec inter ceteras infima erat ra-  
tio, modica spes reformationis utiliter  
stabiendiæ, eoquod jam integro biennio  
Patres nequidem de præcipuo illius ar-  
ticulo, nimirum de statu Pontificis, &  
Cardinalium collegii convenire potue-  
rint. Tandem cuncta, quæ objici pos-  
sent, in præfato libello confutantur ra-  
tionum momenta; hæc inter erant, Pa-  
pam, si semel electus foret, ipsummet  
Ecclesiæ reformationem impediturum,  
**Concilium quoque libertatis suæ jactu-**  
ram

Id. p. 1415.